

- 6 Viles persona & infima nequeat nominari, eligi vel aspirare ad officium publicum honoris, quia eo fungi prohibentur.
- 7 Exercentes officium cauponis & stabularij ex hoc sunt viles & infima persona: quia communiter solent committere fraudes colludendo cum furibus aduersus eos, quos recipiunt, & communiter hospitatores isti sunt homines rapaces & vulgares.
- 8 Qui exercuit officium vile & infimum, non potest eligi nec nominari ad officium dignitatis vel honoris.
- 9 Artes & negotiatores & alia viles personae non possunt assumere officia provincialis & alia dignitates.
- 10 Iniuria fit dignitati, quando viles persona ad eam euehuntur.
- 11 Officia vilia reddunt ea exercentes obscuros, ut nequeat ad dignitatem seu honorem promoueri.
- 12 Officia mechanica censentur vilia: & sic nobiles ea exercentes non gaudent nobilitate.
- 13 Exercentes mercimonia, cuiuscumq; ergasterio adherentes, nequeunt habere officia publica honoris.
- 14 Exercentes artes viles indistincte prohibentur admitti ad aliquos honores, nisi in casu necessitatis.
- 15 Illud officium dicitur vile & sordidum, quod pro tali reputatur.
- 16 Exercentes officia stabularij vel cauponis, communiter solent esse persone pauperes, quia de suo non possunt se alere.
- 17 Elisoria est electio seu nominatio ad officium publicum honoris & contentum habita, quando fit de personis, quibus non est vitium & vita sufficiens.
- 18 Ad quem pertinet institutio & confirmatio, pertinet etiam destitutio.
- 19 Ad quem pertinet ius confirmandi electionem, spectat etiam cognoscere de defectu & inhabilitate electorum ex officio vel ad instantiam partis, & repellere & infirmare electionem de eo factam, quando subest iusta & rationabilis causa.
- 20 Nominati ad magistratus non habent solidam iurisdictionem, quousq; fuerint confirmati a Superiore, cui competit confirmatio: nam ab eo censentur habere solidam iurisdictionem.
- 21 Ex hoc, quod competit alicui ius confirmandi nominatos ad aliqua officia, censetur competere ius superioritatis in nominatis.
- 22 Omnis dispositio generaliter loquens de personis admittendis ad aliquod officium, est intelligenda & interpretanda de idoneis & capacibus.
- 23 Longa consuetudo in electionibus officialium est custodienda.
- 24 Longa consuetudo admittendi ad officia publica magistratus seu honoris personas certa aetatis, est obseruanda.
- 25 Consuetudo, quod inhonesta & viles persona admittantur ad officia publica magistratus seu honoris, prout sunt cauponis & stabularij & reuenditores, non procedit.
- 26 Consuetudine vel lege si caueatur, ut ad officia publica magistratus seu honoris admittantur homines certa conditionis est intelligendum, si idonei sunt.
- 27 Per exercitium vilium & infimorum officiorum cauponis & stabularij ipsorum persone remanent sordiditate seu vilitate infecta, ita, ut nequeant habere postea officium honoris.
- 28 Commissio & mandatum confirmantis non extenditur ad eam confirmationem, quam in specie verisimiliter committens vel mandans non concederet.
- 29 Appellatio non permittitur (dico quoad effectum suspensionis) quotiescunque res dilationem, non recipit.
- 30 Lite pendente sit provisio, considerata qualitate causae, si

forte res periret vel consumeretur durante lite, ut si-
 eius, vel aquini praexpensis.
 31 Idem, quando tempus finiretur, forte rectoris electi ad tres menses.

CONSILIVM XXXI.

Quod est Illustrissimi domini Petri Poncea Leone Episcopi Placentini, Regijque consiliarij, Catholicae fidei censoris, & Summi Inquisitoris in Hispaniarum Regnis merito creati, missum ad auctorem iudicem causae infra scriptae.

Supposito casu praesentis processus super infirmanda electione a Concilio municipij de Xarahizejo facta iudicum ordinariorum, vulgo Alcaldes ordinarios, nuncupatorum, quamuis a iudice maiore dictae villae ab eodem Episcopo domino temporali d. municipij posito confirmata, in quantum de iure locum habere possit, quia habebant ipsi electi officia vilia & infima: nempe, Iacob. erat tempore electionis stabularius, Francisc. vero caupo.

Praesupposito etiam, quod ad dictum Episcopum pertineat praedicta confirmatio electionum, & ipsis electis atque confirmatis tradere virgas iustitiae, ut exsequutoria lata obtentum est, de quo non dubitatur. Item visis probationibus pro parte, & ad instantiam fiscalis dicti Episcopi aduersus praedictos electos factis, necessario iudicari debet contra illos declarando pro nullis dictam electionem & confirmationem, & praecipiendo concilio dictae villae, ut alios iudices, habiles tamen & idoneos nominet sub poenis & monitionibus iuridicis, opportunitis, idq; ex iuris ipsius dispositione, quod in praesenti consilio annuente Deo demonstrabitur.

Primo: quia, ut probatum est in processu, exercentes officium cauponis & stabularij sunt infames infamia facti, attenta opinione & estimatione, quae habetur de his personis in Hispania. Item officium iudicum ordinariorum in dicto municipio est honorificum, praesertim, cum probatum sit, quod cognoscant de omnibus causis ciuilibus & criminalibus in prima instantia inter vicinos & alios in territorio dicti municipij, ut ad sensum patet & probatur in capit. licet causam, de probation. in princip. ibi, super iurisdictione, honore ac districtu in villa Sancti Petri, & Castro Arrioli: & facit lex i. tit. 1. De los cavalleros, libro sexto recopilat. Regiae, sed infamia iuris vel facti non solum repellit, sed adimit officium honorificum iudicis habitum, text. in l. infamia, vbi notat Ioann. de Platea, & in leg. nec infames, C. de decurion. libr. 10. l. vnic. Codic. de infam. libr. 10. & l. 2. Codic. de dignitat. libr. 12. notatur in l. cum Prator. ff. de iudic. in leg. 2. ff. de officio assess. & est lex nostri Regni expressa 4. tit. 4. partit. 3. ibi. Qui otro si el que fuesse de mala fama, & leg. 7. tit. 6. partit. 7. ibi. Et tan grande fuerca ha el enfamamiento, que estos a tales no pueden ganar de nuevo ninguna dignidad, ni honra de aquellas, para que deuen ser escogidos homes de buena fama, y ayn las que auian ganado ante de nés las perder luego que fueren prouidos por tales. E demas dezimos, que ninguno de los enfamados no puede ser suzgador, ni conseruado de Rey, ni de comun de algun concejo, &c. Quae verba omnino tam in se, quam in ratione decisionis sunt ponderanda. Nam ut dicit Ioannes de Platea in leg. ad subeunda, Codic. de decurion. libro decimo, nullus debet eligi in iudicem, qui non sit dignissimus & meritis & facultatibus: nam dignis & benemeritis sunt officia, honores & dignitates conferendae, textus in leg. ut virum meritum, Codic. de status & imagin. Item praemisso, quod est probatum, quod exercens officium cauponis & stabularij, minor ex hoc habetur, quam ceteri

ceteri homines, ut iuxta illos poni non possit, manifeste constat, dictos Didacum & Francisc. ob exercitium dictorum vilium officiorum minime potuisse eligi nec confirmari ad honorabile officium iudicum ordinariorum dictae villae: quia non sunt digni esse in societate personarum honestarum, ut probat d. l. 2. C. de dignit. libr. 12. ibi, & quos infamia ab honestorum coetu segregat, &c. Quae verba sunt omnino expendenda. Sed in expressis terminis de iure nostri Regni cauetur hoc expresse in praed. l. 4. tit. 4. part. 3. ibi, Qui esse sicbo cosa por que valiesse menos, segun el fuero de Espanna: facit etiam l. 2. tit. 15. libr. 2. ordin. Regal.

Item probatur, praesupposito, quod valet argumentum de teste ad iudicem praesertim negatiue, ut de defectus, qui repellit, ne quis possit esse testis, repellat etiam ab officio iudicis, iuxta tradita in cap. de cetero, de testib. Sed qui fecit aliquid, quo minus habeatur, non potest esse testis, ut probatur manifeste in l. 8. tit. 16. part. 3. ibi, El que huiesse hecho por que valiesse menos, en tal manera, que no puede ser par de otro, no puede ser testigo, &c. Ergo nec poterit esse iudex. Item viles persona & infima nequeunt nominari eligi vel aspirare ad officium publicum honoris, quia eo fungi prohibentur, text. in l. honores, ibi, Is, qui non sit decurio, damnatur vel alius honoribus fungi non potest, quia decurionum honoribus, plebes fungi prohibentur, &c. ff. de decur. est etiam text. expressus in auth. de defens. cum. in princ. iuncta gloss. verb. obfcuri, collat. 3.

Item: quod exercentes officium cauponis & stabularij ex hoc sunt viles & infima persona, patet, quia communiter solent committere fraudes colludendo cum furibus aduersus eos, quos recipiunt, & hac de causa emanauit edictum praetoris aduersus caupones & stabularios, ut in l. in princ. versic. maxima utilitas. ff. de nauis cap. & stabular. & l. 26. tit. 8. part. 5. & ita Bald. in l. 1. C. locati, que refert Greg. Lop. in d. l. 26. in glo. des leales, dicit, quod communiter hospitatores isti sunt homines rapaces & vulgares. Et quod caupo sit persona vilis, expresse cauetur in l. humilem, versic. humiles, C. de incestis nupt. ibi, tabernariam, & in l. 1. C. de natur. libr. 10. vel ex tabernaria, idem probatur in l. qua adulterium, C. de adulter. tenet Aymon Crauet. consil. 13. num. 2. quem refert & sequitur Roland. a Valle consil. 34. num. 5. libr. 2. probatur etiam in l. 3. tit. 14. part. 4. & a fortiori erit vilis stabularius. Sed ille, qui exercuit officium vile & infimum, non potest eligi nec nominari ad officium dignitatis vel honoris, ut est text. expressus in l. ne quis ex viliis negotiatoribus, C. de dignitatibus, libr. 12. vbi Bartol. expresse summat illum textum sic, quod negotiantes artes vilissimas ad dignitatem seu honorem non aspirant, & aspirantes repelluntur a dignitate seu honore etiam quazito. Et idem notat Ioannes de Platea, vbi etiam dicit, quod propter vilitatem negotiatorum repelluntur a dignitatibus & honoribus tanquam viles & humiles, non autem propter poenam exercitii negotiationum, nec quia sunt infames, sed quia talia vilia officia exercent. &c. Et omnino sunt ponderanda verba illius legis, ibi, abiectione officij, vel de formibus ministerij, &c.

Quae verba insinuant, quod sicut exercentes officia mechanica abiectione, ita praestates ministeria vilia repelluntur & priuatur officiis honoris. Et in l. 5. tit. 6. part. 1. assignans exempla ministeriorum vilium, dicit, quod similia seruitia censentur etiam vilia: sed ministeria cauponis & stabularij sunt similia, vel inferiora ministeria eis seruitiis vilibus, quae in praedicta lege designantur; Ergo ministeria cauponis & stabularij sunt infima & vilia, & consequenter repellunt praedictum Iacobum & Franciscum ab officiis honorificis iudicum ordinariorum praedictae villae de Xarahizejo.

Pro hac etiam opinione est text. expressus in l. si cohortalis, & in l. si cohortalis, versic. sed etiam cum eos, C. de cohortalibus & princ. cornicularij, libr. 12. Vbi Ioannes de Platea expresse notat, quod artifices & negotiatores & alia viles personae non possunt assumere officia provincialia & alia dignitates, cuius ratio assignatur in illo text. ibi, nec honor dignitatis & militia, eorum contagione polluantur. Vbi etiam dicit, quod facit contra cerdones & alios vilissimos mechanicos plebeios & artifices, qui quaerunt habere vicariatus & potestates.

Confirmatur, quia iniuria fit dignitati, quando viles persona ad eam euehuntur, ut deducitur ex text. in authentic. de sanctissim. Episcop. versic. post ordinationem vero, collat. 9. Pro hac etiam conclusione conducunt valde text. in l. vnic. C. negotiat. ne militent, libr. 12. & in authentic. de testibus, & sancimus, versic. & non quosdam artifices nobiles, iuncta gloss. ibi. collat. 7. vbi probatur, quod officia vilia reddunt ea exercentes obscuros, ut nequeant ad dignitatem seu honorem promoueri: Sed in l. 3. tit. 1. de los caualleros, libr. 6. Coplat. referuntur officia mechanica repellentia ab honore militiae, quae non sunt ita vilia, sicut officia cauponis & stabularij; Ergo a fortiori haec repellent ab officiis honorificis iudicum ordinariorum dictae villae: ea ratione, quia officia mechanica censentur vilia, & sic nobiles ea exercentes non gaudent nobilitate, text. vbi notat Bald. in l. nobiliores, C. de commercijs & mercatur. tradit. Gurd. Papa. questione 89. & 169. facit l. vniuersos, C. de decurionibus, libr. 10.

Deinde ex alio etiam capite dicti Iacobus & Franciscus excludendi sunt a praedictis officiis, quia aduersus eos probatura existit, quod emebant vinum & alia victualia ad reuendendum hospitibus, quod est ita vile, ut hoc solum sufficeret ad infirmandam dictam electionem & nominationem, maxime omnibus supra dictis simul iunctis. Quia qui exercuerunt mercimonia, cuiuscumque ergasterio adherentes, nequeunt habere officia publica honoris, text. in allegata l. si cohortalis, ibi, ceterosque instutores aliarum mercium quibuscunque ergasterijs adherentes, & in l. humilem, C. de incestis nupt. ibi, aut eam, qua mercimonis publicis praesuerit. Et sic l. 3. tit. 14. part. 4. inquit: que la taberner a y regatera es vil persona. Et quod huiusmodi officia exercentes repellantur a dignitatibus & honoribus tradit late Aymon Crauet. consil. 136.

Imo etiam si praedicti Iacobus & Franciscus non essent caupo & stabularius, nec reuenditores in domibus suis, sufficeret, quod probatur, nempe, in aliorum domibus & tabernis ipsos vendere publice panes coctos, & alia victualia & cibos paratos ad comedendum, viatoribus & transeuntibus, quia ex hoc incidere possent in poenam corporalem fraudem committentes & victualia prohibita vendentes.

Vnde inhonestum esset, ut hi venditores horum vitensilium possent habere officia iudicum ordinariorum dictae villae, nec alia honorifica, text. in l. eos, qui vitensilia negotiantur & vendunt, ff. de decurionibus si recte expendatur. Et ita Bart. ibi subiicit haec verba: Dico, quod hodie isti, qui faciunt istas artes viles indistincte, prohibentur admitti ad aliquos honores, quod intelligo verum, nisi in casu necessitatis, si alii non reperiantur, ut ista l. in fin. & supra eodit. l. generaliter, s. spurios. Hucusque Bart. Si ergo hoc officium cauponis vel reuenditoris vel illius, qui publice etiam de suis rebus vitensilia vendit, est vile officium & inhonestum: Ergo a fortiori stabularius & caupo reuenditores vitensilium non poterunt nominari iudices ordinarii alicuius castri, in quo possint exercere iurisdictionem ciuilem & criminalem, ut eam habent & exercent indices ordinarii dictae villae de Xarahizejo.

35 Et quomodo officium stabularii & cauponis ex se non esset vile, sufficeret esse probatum, quod in Hispania communiter huiusmodi officia reputantur vilia: quia id officium dicitur vile & sordidum, quod pro tali reputatur, ut affirmant Ioan. de Platea & Lucas de Penna in l. maximarum, C. de excessu numer. citantes text. in l. fin. in princ. ff. de numerib. & honorib. ibi, Calendarii quoque curatio & questura in aliqua ciuitate inter honores non habentur. &c.

36 Item exercentes officia stabularii vel cauponis communiter solent esse personae pauperes, quae de suo non possunt se alere, ut tradunt Ioan. de Platea & Lucas de Penna in l. ad subendam, C. de decurionib. lib. 10. Sed qui ita tenues & exhausti sunt, ut non modo publicis honoribus pares non sint, sed etiam vi de suo victu se sustinere possint, & minus vile & nequaquam honestum est, talibus mandari magistratum, praesertim, cum sint, qui conuenienter rei & suae fortunae & splendori publico possunt creari. Verba sunt text. in l. rescripto duntaxat, in versic. ceterum ff. de muner. & honor. quae optime adaptatur casui, de quo agimus, ut ex hoc duntaxat capite paupertatis possint repelli dicti Iacobus & Franciscus ab his magistratibus, ad quos fuerunt nominati; Quandoquidem probatum exiit, ipsos esse pauperes. Et hac ratione pauperes exercent officia villa, prout sunt cauponis & stabularii, censentur pasci turpiter lucris, ob quod sunt repellendi ob officii honoris, ut insinuare videtur text. in l. ne quis, C. de dignit. lib. 12. ibi, diuersis pasci turpiter lucris, &c.

37 Confirmantur & superiora: nam illud forsitan est electio seu nominatio ad officium publicum honoris, & contentum habita, quando fit de personis, quibus non est victus & vita sufficiens, ut colligitur ex authent. de defensor. ciuit. in princ. versic. nunc autem, collat. 3. Multa enim inconuenientia sequerentur in perniciem administrationis iustitiae & gubernationis illius villae, si praedictus Iacobus & Franciscus, qui fuerunt stabularii & caupo, prouherentur ad officium iudicum ordinariorum, inter quae non minimum foret, quod eos ceteri vicini illius villae contemta haberent.

Ex praedictis ergo colliguntur multae causae, ob quas dicti Iacobus & Franciscus non potuerunt eligi nec confirmari ad praedicta officia honoris: tum, quia officia sua stabularii & cauponis ex se sunt vilia & infama: tum, quia communiter in Hispania censentur infames: tum, quia exercentes dicta officia emerunt vitensilia, ut reuenderent aduenientibus cauponam vel stabulum: tum, quia sunt pauperes, & non possunt de suo patrimonio se alere,

Reliquum est respondere & satisfacere fundamentis, quibus dicti electi & Concilium dictae villae de Xarabizejo nituntur defendere suam nominationem.

In primis declinant iurisdictionem iudicis maioris Episcopi dictae villae, ut non possit cognoscere & definire, an sit repellenda seu visitanda praedicta nominatio: quia virtute sententiae in rem iudicatam transacta, nec Episcopus, nec iudex maior a se datus, cognoscere possunt de causa tam ciuilibus, quam criminalibus in prima instantia, sed iudices ordinarii dictae villae. Nam ad hoc respondemus, verum esse in causis, quae agitantur inter vicinos praedictae villae, sed de nominatione & electione a Concilio dictae villae facta iudicum & officialium eiusdem, bene potest Episcopus ipsiusque iudex cognoscere in prima instantia; An debeant admitti, confirmari vel repelli? Quoniam cum ad ipsum virtute exsequutoriae latae in contradictorio iudicio pertineat confirmatio praedictorum iudicum & officialium in prima instantia, necessario consequitur, ut in eadem prima instantia possit inquirere, cognoscere & decidere ex officio vel ad instantiam partis, utrum nominati a praedicto

Concilio debeant admitti, vel repelli: Nam ad quem pertinet institutio & confirmatio, pertinet etiam definitio, text. in c. cum ex inuinculo in fin. de heret. & in c. 1. & 2. de capellis Monach. Item ad quem pertinet ius confirmandi electionem, spectat etiam cognoscere de defectu & inhabilitate electorum ex officio, vel ad instantiam partis, & repellere & infirmare electionem de eo factam, quando subest iusta & rationalis causa inquirendi & repellendi, text. in c. venerabilem, & in c. nihil est, de elect. notatur in c. cum nostris, de concess. praeb. Et confirmatur, quia nominati ad magistratus non habent solidam iurisdictionem, quousque fuerint confirmati a Superiore, cui competit confirmatio: nam ab eo censentur habere solidam iurisdictionem, ut est text. in l. defensor, la 4. C. de defensor. ciuit. & notat Angel. in authent. defensor ciuit. §. de cetero, collat. 3.

Confirmatur, quia ex hoc, quod competit alicui ius confirmandi nominatos ad aliqua officia, censentur competere ius superioritatis in nominatos, ut notat Bald. in l. fin. C. de legib. tradit Felin. in c. 1. de constit.

Deinde non obstat iustitia, quam praetendit Episcopus Placentinus, id quod ex parte nominatorum & Concilii de Xarabizejo allegatur, scilicet, quod cum in exsequutoria seu sententia, quae transiit in rem iudicatam, ab eisdem partibus producta non explicetur, quod nominandi ad magistratus non sint caupo & stabularii; ex hoc censetur permittere, quod potuerint nominari seu eligi praedicti Iacobus & Franciscus ad officia iudicum ordinariorum dictae villae. Nam huic objectioni facile potest responderi, scilicet, quod in praedicta exsequutoria seu sententia omnino expresse cauetur, quod sint personae habiles & sufficientes: & licet id non caueretur, praedicta exsequutoria esset intelligenda & interpretanda de nominatione personarum habilium & capacium, non tamen de inhabilibus & incapacibus.

Nam quomodo dispositio generaliter loquens de personis admittendis ad aliquod officium, est intelligenda & interpretanda de idoneis & capacibus, text. in l. tutor pupilli, §. prodigus, ff. de iur. iur. & in specie est text. in l. rescripto, in princ. ff. de munerib. & honorib. ibi, constitutio, qua cautum est, prout quisque decurio datus est, ut ita & magistratum adipiscatur, totius seruari debet, quoties idoneos & sufficientes homines esse contingit, &c. Quae verba manifeste insinuant, ita interpretanda fore verba exsequutoriae, quibus se fundat praedicti nominati & Concilium villae de Xarabizejo.

Item non obstat consuetudo allegata per praedicta, quae dicitur esse introductum, ut caupo vel stabularii possint nominari ad praedicta officia: Siquidem per longam consuetudinem in electionibus officialium est custodienda, text. iuncta gl. fin. in l. super creandis, C. de iur. fisco. lib. 10. & in l. actuarios, C. de numerar. & actuar. lib. 12. Et in 24 specie longa consuetudo admittenda ad officia publica magistratus seu honores personarum certae aetatis obseruanda, text. in l. non tantum, versic. non nunquam etiam longa consuetudo, ff. de decur. vbi Bart. notat, quod in istis honoribus decernendis est inspicienda consuetudo, &c. Nam ad hoc multipliciter respondetur; primo, quod talis consuetudo non est probata, quia licet fuerit probatum, quod dictus Iacobus tempore Illustrissimi quondam Episcopi Domini Gutierrez fuerit electus iterum ad officium iudicis ordinarii dictae villae, cum esset stabularius: vnus tamen actus non inducit consuetudinem, ut notat gloss. in rubrica, C. qua sit longa consuetudo, & notatur in cap. cum Ecclesia Sutrina, de cass. possess. & prop. & in l. de quibus, ff. de legib.

Nec etiam obest, quod tempore quondam dicti Illustrissimi Gutierrez fuerit confirmatus in eodem officio idem Didacus iudice maiore dicti Domini Episcopi, quia hoc dignitati Episcopali atque successoribus in eadem

eadem obesse non potuit, maxime, cum non sit consuetudo praescripta de hoc.

Vel alio modo respondeo, quod consuetudo in electionibus magistratum est obseruanda respectu solemnitatis & modi, quo facienda est talis electio, & hoc casu loquuntur text. supra citati in l. super creandis, & in l. actuarios, vel seruanda est consuetudo longa respectu certae aetatis nominatorum seu electorum ad officia magistratus seu decurionatus, licet talis consuetudo sit contra ordinatum in iure, quo casu loquitur text. in praedicta l. non tantum, versic. non nunquam etiam, ff. de decur.

25 At si consuetudo, quod inhonestae & viles personae admittantur ad officia publica magistratus seu honoris, prout sunt cauponis & stabularii & reuenditores, non procedit: tum, quia est contra ius publicum, ut sunt iura vniuers. tum, quia est inhonestum, ut vendentes vitensilia admittuntur ad officia publica honoris, ut probatur in l. eos, qui vitensilia, versic. inhonestam, ff. de decur. Sed consuetudo contra honestatem non procedit, ut in c. cum decorens, de vita & honest. cler. Nam quae sunt contra honestatem, non dicuntur esse nec fieri posse, l. si quis a liberis, §. si vel patens, ff. de liber. agnos. l. filium, ff. de condit. instit. Tum etiam, quia est illegitima vel consuetudine cauetur, ut ad officia publica magistratus seu honoris admittantur homines certae conditionis, illud tamen est intelligendum, si idonei sint: Nam non valet consuetudo seu ordinatio, ut minus idonei vel minus sufficientes admittantur ad praedicta officia publica, ut est text. in l. ut gradatum, in princ. ff. de muner. & honor. Cuius verba sunt haec: Et si lege municipalis cauetur, ut praesententur in honoribus certa conditionis homines, autamen sciendum est, hoc esse obseruandum, si idonei sint, & ita rescripto Domini Marci continetur, &c.

Facit text. in l. rescripto, in princ. versic. constitutio, eod. tit. ff. de muner. & honor. ex quibus inferitur verus intellectus ad l. honor. in princ. ff. de decur. confirmatur: quia lex municipalis vel consuetudo, (siquidem valet argumentum de vno ad aliud) cuius praetextu praetenditur, ut viles personae admittantur ad officia publica magistratus & honoris, tendit in contagionem & contra ius publicum talium officiorum, ut probatur in l. si cohortalis, C. de cohort. lib. 12. ibi, ut omnis honor atque militaria a contagione huiusmodi segregetur, & sic talis consuetudo non valet nec procedit.

Nec etiam obest, quod aduersae partes allegant, nempe deposuisse officia stabularii & cauponis, cum primum fuerunt nominati iudices a Concilio dictae villae & hoc sufficere, siquidem iura supra allegata hoc casu id non prohibeant.

27 Nam ad hoc respondemus, negando hoc sufficere, cum per exercitium dictorum officiorum ipsorum personae remanserint sordiditate seu vitiate infectae, ita ut nequeant postea habere officia honoris, quamuis tempore, quo promouuntur ad ea, non exercent praedicta officia sordida & vilia: hoc enim expresse insinuatur iura ciuilia & leges Regiae supra citatae.

Quae etiam si ita expresse id non disponerent, ita essent intelligendae: Siquidem si intelligerentur, prout aduersi praetendunt, non deseruissent de aliquo dubio, contra l. quod Labeo, ff. de Carbon. edit. cum complurib. Et quod ex hoc duntaxat, quod quis exercuerit, licet postea deserit exercere huiusmodi officia vilia, contraxerit in sua persona vitiatam & sordiditatem, probatur manifeste per argumentum a fortiori text. in allegata l. humile, C. de nectis nupt. ibi, tabernarius vel lenonius, aut eam, quae meretrix publice praesuit, & eodem argum. text. in allegata l. 1. C. de natura lib. liber. ibi, vel ex tabernaria vel tabernaria sita, & ibi, vel quae meretrix publice praesuerit. Praemaxime, cum probatum sit aduerso exercuisse praedicta sua officia vsque in diem, quo electi fuere ad praedi-

cta officia iudicum ordinariorum inclusue, & quod postea amouerunt insignia stabularii & cauponis de domibus suis, in fraudem, ut praesumitur, & postea manifeste apparuit. Quoniam est quoque probatum in processu, quod postquam fuit conclusus processus, ipse Didacus recepit plures hospites in domo sua, & vendidit publice eius domi alimenta, & recepit pretium pro eis & hospitatione, sicut antea faciebat, & exercebat simul officium iurisdictionis & stabularii, quae quidem officia sunt incompatibilia, praeter vilitatem, quam in sua persona contraxit, propter dictam officium cauponis & stabularii.

Non etiam obest confirmatio praedictae electionis facta a Ludouico Gallico iudice maiore dicti Domini Episcopi Petri Ponce, quia multipliciter respondetur. Primo, quia confirmatio praedicta fuit expresse facta in quantum de iure locum haberet; Sed ea locum de iure habere non potest, per omnia supradicta; Igitur aduersi non possunt ipsa se iuuare.

Secundo, quod etiam si praedicta confirmatio non fuisset facta in quantum de iure locum habere posset, sed simpliciter, adhuc nihil prodesset aduersis, quia commissio & mandatum confirmantis non extenditur ad eam confirmationem, quam in specie verisimiliter admittens vel mandans non concederet, ut in c. fin. de officio, lib. 6. & argum. l. obligatione generali, ff. de pignor. Sed Petrus Ponce Episcopus Placentinus, cuius vices gerebat dictus Ludouicus, ipse iudex maior eam minime concederet, imo expresse mandauit eidem, ne confirmaret praedictos electos, quia exercebant officia vilia & infama: quamuis de hoc mandato non constet instrumento publico, probatur tamen testibus; Igitur praedicta confirmatio ius non tribuit electis, quia fuit contra formam mandati, & consequens nulla, iuxta l. distinger, ff. mandat. & cum dilecta, de rescript. Quo fit, ut dictus Episcopus, tanquam Dominus temporalis dictae villae, & ipse iudex specialis ad hoc deputatus cum causae cognitione possit eosdem electos priuare seu deponere a praedictis officiis iudicum, tanquam incapaces eorum. Praemaxime, cum sit probatum, quod municipium seu villa de Xarabizejo sit populosum, habens plus quam sexcentos vicinos, & quod inter eos sunt plures honesti homines habiles & sufficientes, diuitesque, qui possint nominari & eligi ad praedicta officia iudicum ordinariorum dictae villae. Haec dixerim, subiciens me vestrae censurae. Datum Placentiae.

Illustrissimus Dominus Petrus Ponce de Leon Episcopus Placentinus, cum prius commississet mihi hanc causam, mandatumque plenum in forma dedisset, misit ad me hoc suum consilium sua persona elaboratum, quod legi atque perlegi, aliaque meo studio reuolui, ut causam hanc diffinirem: tandem maturo consilio & deliberatione habitis protuli sententiam diffinitiuam 27. die mensis Iun. anno 1569. qua condemnaui dictos Did. & Francif. ut statim deponerent officia iurisdictionis, & eis non vterentur amplius, sub certis poenis, & praecipio Concilio d. villae, ut alios duos praetores eligerent, habiles & sufficientes, alias ipse eos eligerent. Qui quidem appellauerunt a d. mea sententia, & sub ea cum quadam protestatione elegerunt duos alios praetores, quos confirmaui, quia erant idonei & personae honestae, non viles nec infimi. Et antequam exsequutioni mandarem meam sententiam, protuli decretum, quo asserui; Quod attentio, quod praed. officia iudicum ordinariorum d. villae erant annalia, & quae cursu temporis consumebantur & finiebantur, & quod si appellatio admitteretur, sententia & iudicium essent illudoria, quia annus officiorum praedictorum finiretur antequam lis & secunda instantia, ideo conformans me cum l. Regia 6. in 18. lib. 4. Nou. Comp. Reg. quae in similibus casibus iubet appel-